Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 687
Quelle:
Copyright:

cujus T. III. *col.* 160. si lubet, adi.

CCXIX. VI. F. 10

394 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 57. 4. nitide scriptus, titulis omnibus miniatis, olimque pertinens *ad Librariam Capituli Ecclesie Ratisponensis* complectitur: I. D. *Augustini Libros II. Retractationum* praemisso *Capp.* Elencho eodem prorsus, quem praeferunt Editi T. I. *Opp. Paris.* 1689. *Incipit. Liber. Primus. Jam diu est vt facere cogito atque dispono quod nunc adiuuante domino adgredior* &c. Finis Operis: *alios a me dictos retractare cepissem.* Adcuratio Scriptoris est infra calami elegantiam.

II. *fol.* 46. p. 2. *Incipit eiusdem epistola ad optatum episcopum.* Initium: *Domno beatissimo et sincera dilectione desiderabili fratri et coepiscopo obtato in domino salutem. Quamuis tue sanctitatis nullas ad me ipsum datas acceperim litteras* &c. Agit de Origine Animae, et est in *Edit. suprac.* T. II. *col.* 700. *Epistola* CXC. Integra in *Cod.* Textusque sat castigatus.

III. *fol.* 52. p. 2. *Incipit ejusdem Sancti Augustini Liber de Diuinatione Demonum.* Initium: *Quodam die in diebus sanctis octauarum cum mane apud me adessent multi laici christiani* &c. Legitur T. VI. *col.* 505. correctius. Finis: *quantum dominus adiuuat respondebimus.*

IV. *fol. ult.* p. 2. *Incipit questio de magis faraonis eiusdem sancti augustini.* Tractat *Augustinus* differentiam Potestatis Sanctorum et Magorum in edendis Miraculis in *Lib. de diverf. Quaestionibus LXXXIII. Quaest.* 79. T. VI. *col.* 69. Sed ibi verba *Codicis* non invenio, quamvis sententia concordet. Videtur igitur quispiam mentem tantum *Augustini* adnotare et exponere voluisse in hunc modum: *Non oportet moueri cum magicis artibus miracula fiunt* &c. Lineas 16. non excedit haec Adnotatio.

CCXX. VI. C. 13

Codex membraneus lat. Sec. 139
XI. Folior. 149. f. per duas columnas eleganter scriptus, rubricis distinctus, bonaeque notae comprehendit *S. Augustini* Hipponensis Ep. *Confessionum Libros* XIII. hoc titulo literis quadratis minio exarato: *Incipiunt Libri Confessionum Aurelii Augustini.* Initium eodem scripturae genere: *Magnus es Domine et laudabilis ualde. Magna uirtus tua* &c. Finis Libri I. *quia et ut sim tu dedisti michi. Explicit Liber Primus Confessionum. Incipit liber Secundus.* Et sic initia, clausulaeque Librorum per totum charactere quadro. Lectio sincera et plerumque cum *Mauriana* edit. *Opp. Augustini* T. I. *Paris.* 1689. *col.* 69. conspirans; loco tamen illo vexato L. VIII. c. 3. col. 146. ubi *Mauriana* Codices *Anglicos* secuta habet: *inspirabat populo*